

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Disputationes Chirurgicæ Selectæ**

**Haller, Albrecht von**

**Lausannæ, MDCCLV.**

**VD18 90538889**

Caput III. Operationem ipsam, & quae ad eam pertinent, describens.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16577**

## CAPUT III.

*Operationem ipsam, & quæ ad eam pertinent, describens.*

*De operatione generationis.*  
**Q**uoniam igitur ægra nostra sectioni non solum lubens se submittere voluit, sed etiam ardentè ipsam expetiit, & quidem animo ita intrepido atque excitato, ut, quicquid ad eam a gravissimo isto malo liberandum, proficuum judicaretur, fortiter patienterque se pati sustinereque velle, pollicita fuerit. Hinc Excell. *Dn. Præses*, misertus mulieris hujus afflictissimæ, licet ob virium debilitatem tumorisque magnitudinem spes valde angusta & eventus valde dubius, imo metuendum esset, ne in ipsa operatione periret, sectionem tamen in casu hoc ancipiti suscipere maluit, quam eam intermittere; quæ etiam præter spem plerorumque, qui ægram antea viderant, eamque in operatione morituram esse crediderant, Deo benedicente, tam feliciter cessit, ut etiam adhuc hodie, dum hæc scribo, optime sese habeat.

*De præparatione ægræ.*  
 Antequam vero eam aggressus est, non frustraneum aut supervacuum esse judicavit, *præparationem ægræ*, melioribus chirurgis in quacumque operatione difficiliori consuetam, instituere: sicuti circumforanei & agyræ hanc vulgò negligere solent: verum primo per aliquot dies ante operationem eam bona diæta uti iussit; & simul eodem tempore bis, duobus diebus continuis, ipsi purgans lene exhibuit, ad saburram & cruditates in primis viis hærentes evacuandas: quod ex sequentibus pilulis constabat:

℞. *Extr. panchym. Croll.*  
 ℥ *dulc. aa* ℥β.  
*Extract. helleb. nigr. gr. IV.*  
*Ess. lignor. q. f. f. Pilul. N. XXII. consperg.*  
*Elæosacch. lign. Sassafr. D. S. Blut-reinigende*  
*Laxier-Pillen II. auf einmahl morgens früh*  
*einzunehmen.*

Porro ad sanguinem aliquo modo corrigendum & attenuandum sequens decoctum pugillare ordinavit, de quo singulo die ter quaterve haustum trium quatuorve unciarum calide assumi præcepit:

℞. *Rad. Sarsaparill.*  
*Chin. elect. aa* ℥j.  
*Liquirit.*  
*Lign. Sassafr. aa* ℥β.  
*Sem. anis. stellat. ℥ij. concis. crasso modo*

D.





D. ad chart. S. Blut-reinigende species,  
des Tags etlichmahl davon warm zu trincken.

His ita per quadriduum observatis, operationem non diutius differendam esse judicavit, ne ægra debilior fieret, & præ languore, aut in operatione, aut mox post eam, moreretur. Sunt quidam chirurgi, qui operationes magni momenti ad vernum, vel autumnale tempus differunt: verum, dum hoc faciunt, ægri interea sæpe moriuntur, vel saltem adeo debiles fiunt, ut postea operationi sustinendæ non amplius pares sint. Ideoque ob hanc rationem, licet brumale esset tempus, frigusque satis magnum, omniaque nive obtecta, tempus hic non electionis, ut vulgo dicunt, sed necessitatis esse ratus, diutius ægram ita pati noluit *Dn. Præses*, sed diem *Januarii vigesimum nonum*, & quidem tempus pomeridianum operationi huic destinavit.

De tempore  
operationis.

Ad hanc vero, ne imparatus accederet, sed ut omnia requisita præstosint, ea matutinis horis ejusdem diei, quæ ad operationem & deligationem necessaria erant, (*apparatum* vulgo vocant) congeri præpararique curavit: quæ vero, ut integram perfectamque hujus casus & operationis historiam exhibeamus, hic non omittenda esse censemus, antequam ipsam operationem describamus.

De requisitis  
ad operationem.

*Instrumentis* usus est paucissimis, ut in præfatione jam indicavi, unico nempe *cultro*, bene acuto, & quidem illo, qui in chirurgia ejus Tab. XV. fig. 7. delineatus est, nulloque alio instrumento: cum e contrario alii *ingentes acus*, quibus mammam ante sectionem perforant, alii furcas horrendas, alii cultros candentes, alii alia adhibeant instrumenta horrida, sicuti supra jam dictum est. Deinde *remedia* ordinavit, partim pro sanguine post operationem sistendo, partim pro ægra in operatione, & post eam refocillanda.

Pro sanguine sistendo præscripsit primo:  
Spiritus ætherei terebinthinæ ℥j. Et simul pulverem sequentem stypticum:

℞. Bol. armen præparat. ℥ij.

Sangu. Dracon.

Mastich. a a. ℥j.

Aloes optim. ℥ss.

Sacchar. Hni ℥ij. M.

F. Pulv. D. ad Scatul. S. Blut-stillendes Pulver.

Porro multa parva *splenia* quadrata, magnitudine unius pollicis, quæ imbuta spiritu illo terebinthinæ arteriis resectis imponebantur. Postea magnam copiam fungi ischæmi, quem vulgo *crepitum lupi*, sive *bovistam* appellant, una cum pulvillis quibusdam magnis ex stappa, quos Galli *Plumaceaux* vocant; tandem *emplastra* multa glutinanta, duodecim circiter,

Tons. 11.

V v v

pedem





pedem unum longa & pollicem lata, unumque quadratum magnum, quod in longitudine & latitudine pedem habebat. Denique *splenia* duo magna, quadrata, ex linteo decies vel duodecies complicato, pedis magnitudinem parum excedentia, duasque *fascias*, quæ latitudinem quatuor quasi digitorum transversorum æquabant, & longitudinem sex ulnarum Parisiensium paulo superabant, quamlibet capitibus duobus æqualibus utrinque convolutam, pro idonea firmaque deligatione post operationem perficienda.

Hiscæ itaque præparatis, hora pomeridiana secunda illius diei chirurgo, adjutori suo, duo adhuc dedit cauteria sive ferra pro vasis sanguiferis adurendis vulgo usitata; quæ interea, donec ipse accederet, in ignem immitti iussit, ea intentione, ut, si vasa post resectionem in tanto tumore tantæ forte magnitudinis sit offensurus, ut hæmorrhagiam earum medicamentis stipticis compesci non posse videret, ea mox in promptu essent; quibus vero postea non indiguit, quia vasa non adeo magna, ut suspicatus antea erat, offendit. Deinde eidem chirurgo præcepit, ut libram cerevisiæ calefieri curaret, eique tres circiter uncias butyri injiceret, pro spleniis ea post operationem imbuendis (p).

Atque hæc sunt, quæ ad operationem præparari curavit. Ad vires vero ægræ in operatione & mox post eam *roborandas* ordinavit, primo, pro usu interno, sequentem potiunculam analepticam, de qua subinde duo vel tria cochlearia ægræ exhibita sunt.

℞. ▽ Cinnamon. hordeat. ℥vj.

Cinnamon. cum vino

perlarum. aa ℥j.

Sirup. Caryophyllor.

flor. tunic. aa ℥ij.

Confect. alkerm. incompl. ℥j.

℞ us ℞ li gtt. XII. M. D. ad vitrum.

S. Kraft-Wasser, 2. bis 3. Löffel voll auf einmahl zu nehmen.

Pro usu vero externo sequens *mixtura roborans* ordinata est, quæ linteo excepta sæpius naribus ac temporibus admota est.

℞. ▽ Regin. Hungar. ℥ijß.

Anhaltin. ℥ijß. M. D. ad vitrum.

S. Stärckendes Wasser zum riechen und anstreichen.

Operatio  
ipsa.

Auxiliis hisce instructus, omnibusque ordine in tabula dispositis, ipsam  
ope-

(p) Helvetius in tractatu Gallico, de fluxibus sanguinis & *cancri curatione*, affirmat, nullam inflammationem post operationem *cancri* orituram esse, si splenia tali fomento imbuta, vulneci applicarentur: id quod etiam hoc in casu verissimum esse deprehendimus.



operationem sequenti modo aggressus est. Ægram sellæ idoneæ, brachiis instructæ, quam Galli *fauteuil*, nos *einen Lehn-Sessel* vocamus, in medio eubiculi collocatæ, imposuit, ut ex omni parte accessus ad ægram esset facilis, atque tam juvantes, quam spectatores bene collocari potuerint. Præsentès vero erant Vir Excellentissimus atque Experientissimus D. Jo. Jacob. Bajerus, ordinis medici Senior dignissimus, atque Præceptor noster omni venerationis cultu prosequendus, multi medicinæ Studiosi, atque aliquot chirurgi. Tunc Excell. Dnus *Præses* se ipsum a latere dextro, & quodammodo a tergo ægræ collocavit, ut sic aptius atque commodius, quam si a facie staret, prout ab aliis vulgo fieri solet, sectionem perficere posset. Tunc brachium dextrum ægræ sursum & retrorsum extendi, atque ab aliquo adstantium apprehendi tenerique jussit. Alius, a tergo stans, caput ægræ firmavit, linteoque faciem ejus obvelavit; ne in sectione multum terreretur. Tertio, qui a facie ægræ stabat, mammam, quæ amputanda erat, sustinendam, eamque quodammodo elevandam attrahendamque commisit, ut sic aptius a partibus subjectis refecari posset. Quartus adjuvantium, a latere dextro D. *Præsidis*, collocatus, in tabula quadam cultrum, splenia, medicamenta sanguinem sistentia, aliaque ad operationem requisita sustinebat.

Hæc cum ita essent disposita, non solum haustulum aquæ analepticæ ipsi bibendum dedit, verum etiam verbis ægræ animum addidit; atque eo ipso momento cultrum arripuit, illum inferiori mammæ cancrôsæ parti admovit, eamque celeri, at provida sectione, integram, intra momentulum horæ, a parte inferiori versus superiorem, refecavit.

Sublata mamma, arteriæ mammarîæ externæ atque internæ, minoris calami straminei crassitie, quatuor vel quinque in locis cum impetu sanguinem fundere observabantur. Ad quarum vero hæmorrhagiam compescendam, singulæ arteriæ splenia parva quadrata duo vel tria, spiritu æthereo terebinthinæ probe ebria, imposuit, eaque ab adstantium uno alterove firmiter sustineri jussit. Postea multa *frusta fungi ischani*, bene pulverulenti, pulvereque styptico probe referti, spleniis illis totique vulneri largiter superimposuit, & super hæc tandem pulvillos quosdam e stuppa, pulvere quoque styptico largiter repletos applicuit; quæ omnia manibus adstantium probe firmari præcepit, atque aliquandiu ita teneri, donec nullus sanguinis fluxus amplius observaretur. Interea iterum ægræ subinde haustulum analepticum porrigi, naribusque ejus aquam roborantem, ad vires refocillandas, ad moveri curavit.

Tandem ad hæc omnia sustinenda beneque firmanda *Emplastrum* illa longa glutinantia XII, in forma stellæ, firmiter applicari, & posthæc magnum quadratum emplastrum glutinans his omnibus superaddi jussit. Hæc deinde duobus spleniis magnis, quadratis & crassis, fomento illo ex cerevisia calida & butyro parato (pag. 23). ebriis, tegit, & denique hæc omnia fascia cataphracta dicta, sequenti modo probe firmavit.

*Applicatio  
sanguinis  
sistentium  
post operas-  
tionem.*

*Emplastrum  
magnum  
spleniis*





*Fasciæ applicatio.*

Spleniis nimirum, totoque reliquo apparatu a chirurgo quodam decenter sustentatis, primæ fasciæ, duplici capite convolutæ, medium sub axilla sive ala sani lateris applicuit, ita, ut alterum caput, quod ab anteriori latere ægræ erat, manu dextra; alterum vero, quod a posteriore prodibat, manu sinistra regeret. Utroque capite sive globo ad partem axillæ superiorem ducto, posteriori, per thoracem; anteriori, per dorsum progressus est, versus alam lateris affecti, ut in superiori axillæ sinistra parte se decussarent. Sub ala vero hac dextra iterum mutatio globorum facta est, atque ille, qui modo anterior erat, per posteriorem axillæ partem, qui posterior, per anteriorem ejus ita circumductus est, ut denuo decussatio in suprema axillæ dextræ parte fieret, illeque per posteriorem hujus partem circumductus, per anteriorem thoracis partem rursus versus alam sinistram; hic vero qui per anteriorem axillæ partem circumductus erat, per dorsum sive posteriorem thoracis partem, ad eandem axillam sinistram duceretur; ubi denuo decussati, sed non amplius axillæ, ut prius, verum thoraci circumducti sunt, ita, ut superiori in loco vulneris sibi invicem obviam venerint. Hic rursus capita fasciæ mutabantur, utrinque ad dorsum ducebantur, indeque denuo ad locum vulneris, at paulo decliviorum redibant, ubi utroque capite probe adducto fascia semper firmiter constringebatur, ad apparatus firmandum vasaque sanguifera bene comprimenda: atque sic per similes ductus, sive circumvolutiones, semper parum descendendo, continuatum est, donec totus apparatus fascia probe inclusus atque constrictus esset, & fascia tandem desineret, ubi extrema aciculis firmata sunt.

*Quid post deligationem factum.*

Ita deligata, potuque roborante paululum rursus refecta, in lectum deducta atque quieti commendata est, ea adjuncta cautela, ut per aliquot horas chirurgus quidam lecto ipsius assideret, manuque totum apparatus in loco affecto sive vulnerato bene comprimeret, quo eo certius hæmorrhagia compesceretur, atque averteretur. Interea tamen, quia post aliquot horas observatum est, aliquid sanguinis apparatus penetrare, hinc altera adhuc fascia, eodem modo, ut prior, applicata est, atque sic sanguis substitit. Unde apparet illum deligandi modum per mantile & suspensorium, quem *Dionis* hic commendat, (*q*) quique a gallis *la serviette* & *le scapulaire* dici solet, quia minus constringit illa modo descriptam, in graviore tali malo non sufficere ad sanguinem cohibendum, sed solum in leviori malo intervenire posse: ideoque illam a me descriptam, quam *cataphractam* vulgo vocant (*r*), huic in similibus casibus præferendam esse. Interim vero ægræ valde debili sæpius aliquid aquæ analepticæ fuit datum, spiritus excitans naribus admotus, & subinde haustulus cerevisiæ exhibitus; pro nocte vero sequens *emulsio cardiaca* & *paregorica* ordinata est, de qua sæpius

[*q*] In Chirurgia sua, Cap. de Cancro.

[*r*] Quia applicata *cataphractæ* qualemcumque similitudinem refert.





fæpius aliquid affumpfit, donec tandem fomno quodam placido correpta, noctem utcumque, fumma tamen in debilitate, tranfegerit.

- ℞. amygdalar. dulc. recent. ℥β.  
 Sem. papav. alb. ℥iij.  
 Card. Mar. ℥ij  
 Decoct. hord ℥x. F. Emulfio.  
 Adde ▽ Cinnamom. ℥j.  
 † niidiaphoret. ℥j.  
 Sirup. diacod. ℥β. M. D. ad vitrum.  
 S. Linderende Rub-Milch ungerüttelt öfters davon  
 zu trincken.

Quæ ulterius facta fint, quomodo fcilicet, & quibus remediis, tam externis quam internis, pro fymptomatibus variis vel præcavendis vel arcendis, poftea fuerit tractata, qua diæta ufa fuerit, & quomodo tota curatio ad perfectam ufque fanationem fuerit inftituta, jam in fequenti capite describam. Hoc tantum hic adhuc monens, mammam resectam mox in pharmacopolium fuiffe delatam, ibique libratam; ubi, ut jam dictum est, *duodecim libras perpendit medicas*: quam deinde *Dn. Præfes*, meo rogatu, mihi affervendam conceffit, quamque etiam adhuc in fpiritu vini ad perpetuam rei memoriam affervo, ut cuilibet eam femper ostendere poffim.

## C A P U T I V.

*Curationem tradens.*

Q Uemadmodum in priori capite operationem, & quæ ad hanc pertinet, deligationem descripsi, ita hic, ut nihil in curatione fcitu necessarium a me omitatur, totam curationem ordine exhibebo, ut alii imposterum hanc methodum, si non displiceat, fequi poffint. Ante omnia vero hic monemus, die operationem mox fequente, nullam fasciarum solutionem vel mutationem factam esse; verum præstare cenfet *Excell. Dn. Præfes* his & plerisque aliis in gravioribus operationibus primam deligationem ad tertium ufque diem relinquere, ut arteriæ interea melius claudantur; ne tam facile nova hæmorrhagia, præfertim in ægra adeo debili, oriatur. Quapropter eo die, qui erat Januarii trigefimus, ægræ fæpius parum aquæ analepticæ exhiberi, jusculeque roborantia interponi jussit, atque etiam fequentem *gelatinam* ipsi ordinavit, ut & subinde cochleare unum alterumve de ea affumeret: quippe quales non modo blandum nutrimentum præbent, atque vires augent, sed etiam simul sanguinem acrem, cancrosum, egregie temperant.

*Quid primis diebus in curatione actum sit?*

